

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ANTONIO DE BOVRBON, COMITI MORETÆO.

I. DVCLEDAT S. D.

C ONSCENDO *nauigium* (Illuſtriſſime Princeps) *vtinam proſpero curſu ſaluum in portu collocem. Terrent & deterrent me pericula, quæ circumſtant vndique. Æſtus diſputationis, ne procul à conſpectu abripiat. Breuia, latenteſque difficultatum ſcopuli, quibus ſparſum eſt æquor Medicinæ, ne illiſum abſorbeant. Cœuntia ſaxa nouæ quæſtionis paucis hactenus cognita, ne viam intercludant. Quid facerem? Vt prudentis gladiatoris eſt conſilium in arenâ capere, ſic in periculo, nautę. Cogitanti venit in mentem illud Phinei, quo tranſnatarunt fretum Argo-nautę, quod pendentes, & ſubinde inter ſe concurrentes Cyaneæ rupes nauibus imperuium reddiderant. Columbam ad explorandum vt præmitterent author fuit, quæ ſi tranſuolaſſet im-punè, tutum iter capeſſerent. Sic mihi operæ pretium viſum eſt, vt diſputationum curſus procederet ſecundis alitibus, monimentum officij & obſequij erga te mei præmittere, Illuſtriſſimumque tuum no-men meis propoſitionibus præfigere. Tali igitur auſpice nil metuendum, niſi fortè ne perexiguum munus, calculos nempe in humano corpore concretos, aſperneris. Verum aliquando lapides oblatos à prætereuntibus Mercurius viam commonſtrans acceptos habuit. Non tamen quaſi te dignos gratoſque offero. Sed cùm vltimus hic mihi reſtet actus, in quo, quia maximè elaborandum, maiori præ-ſidio opus eſt, ad cuius aram confugerem, niſi ad Tuę Celſitudinis ſacram anchorã, cùm præſertim dubitantem ad audẽdum inuitâris, & meticuloſo, æqui boniq; conſulturũ pollicitus, animos addideris.*

AD QVODLIBETARIAM

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE LVNÆ VII. MENSIS FEBRVARII.

Magiſtro IACOBO COVSINOT, Doctore Medico moderatore. 627.

An vt ſuppurato reni ſic calculoſo ferrum?

REN extra capacitatem abdominis ad lumborum proiectus apophyſes, vt attrahendo ſero ſudoris, vrinarum & lachrymarum materiæ dicatus fuit; ita ſuſcipiendis vniuerſi corporis excrementis opportunus. Hinc fit vt ſæpe obſtruatur tam à ſyſtrophica plegmone, quam quiuis ſuſcitat humor, quàm à calculo qui omnibus quidem in locis, & ex omnibus humoribus, ſed maximè in renibus & veſica, ex viſcidis glutinoſiſque ſuccis concreſcit: phlegmone ni reſoluatur, quæ optima eſt eius curatio, ad ſuppurationem promouenda, ijs quæ calorem noſtrum fouent & augent. Pure facto, ren ex nephritico fit ſuppuratus.

VBI ſubſtantiam eius lapis obſidet, calculoſus exiſtit, malū non æquè pueris ac ſenibus frequēs & graue, viris quàm mulieribus familiare magis, pinguiuſculis quàm gracilibus, guloſis quàm parcis, Septētrionalibus quàm alijs terræ incolis, Pariſienſibus quàm cæteris Gallis, noſtro quàm veteri ſæculo, hominibus quàm belluis. Neq; ille tantùm in renis ſubſtantia, ſed & in eius cauitate, alijſque perigraphis pullulat, aliquando ſubſtantiam inter & membranam, interdum in glandula capiti renis appoſita, exiguo reni perſimili. Sed quocumque loco, aliàs ſine nephritide eſt, frequenter eam vel anteuertit, vel prouocat, vel comitatur.

SVPPVRATA phlegmone quæ in cauis eſt renum, pus per vreteres effluit in veſicā trahendi vi non deſtitutam, & ab ea foras protruditur cum caruncelis, ramentis, & nonnunquam pilis. At pus ſi reſtagnet, nec per eas vias repurgetur? Quid moliendum, ne vicinas partes exedat acrimonia, putredine corrumpat, fœtore labefactet, natiuumque tandem calorem extinguat? Apertio tentanda eſt ferro & igne. Pyroticum parti dolenti, quæ in tumorem elata eſt tutiùs admouetur, quàm educendo empyicorum puri, dein ferrum intro adigitur, quouſque purulentus humor eruperit.

CALCVLVS quoque ſi exiguus, facilè ſubit vreteres, & in veſicam deſcendit, è qua ni excludatur ſponte, aut extrahatur aperto interfemineo vel pube, in ingentem ſæpè excreſcit molem, non animæ vegetantis, non ſtellarum, non virtutis mineralis, vel ſpiritus lapidifici materiæ inſiti, non frigoris, ſed vnius caloris acris vel mitis maleficio, ſi grandior & aſperior, qui in rene quàm in veſica peior, anguſti vreteris oſtium ingrediatur atrociſſimos dolores excitat, inflammationis & gangrænoſis prodromos, aliquando in rene diu deliteſcit, ſine dolore, non ſine noxa quæ hæredibus interdum tranſmittitur. Hunc tamen ne tentaueris lithontripticis minuere, nec ſperaueris cæcis vllis medicamentis frangere, aut foras excludere.

QVID autem ſi atroci dolore lancinat? ſi vlcerat aſperitate? ſi feruidam intemperiem accerſit? ſi penitus renem obſtruit? ſi calorem natiuum opprimit? fruſtra diureticis, aquis mineralibus, balneis, nephritico, iudaico, ſpongiæ, vel alio quouis lapide, hircino aut leporino ſanguine excluſionem aut comminutionem aggredieris. Obturato rene ſerum ad cerebri arcem raptum, lethalem apoplexiam ac lethargum, ad pulmonē peripneumoniam & pulmonis hydropem, ad cor palpitationem & ſyncopen, ad iecur aſciten atq; etiam interitum inducet. Satius ergo pyroticum admouere exteriori renis regioni qua parte tumet, vel maximè dolet, dein ferrum ad renis vſque ſubſtantiam nullo hemorrhagiæ metu adigere, quò vel ſponte calculus exeat, vel inuentus cathetere commodo inſtrumento extrahatur.

Ergo vt ſuppurato reni ſic calculoſo ferrum. 74

Aſſerebat Lutetiæ. IOANNES DVCLEDAT, Burdegalenſis, Anno R.S.H.M. DC. XXII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Bartholomeus Barralis M. R.	*M. Mauritius de Montreuil.*	*M. Georgius Arbault.*
M. Carolus le Clerc.	*M. Guillelmus Gyon.*	*M. Carolus Bouuard.*
M. Ioannes Bourgeois.	*M. Claudius le Poix.*	*M. Claudius Charles. P. R.*